Conclusiones tenaces ex rubrica de sacrosanctis et
catholicis Christi Ecclesiis reparandis ac refri-
endis depromptae.



CONCLUSIONES LUNARES
Ex Rubrica de Sacrosanctis & Catholicis Christi Ecclesiis reparandis ac reficiendis.
DEPROMPTÆ.

I. QUamvis refectio, seu reparatio, pro natura, conditione & qualitate materiæ aliter, atq; aliter accipiatur, nihilominus in præsenti Rubrica accipitur pro restauratione, seu reductione in pristinũ statum illius, quod corruptum & tempore vitiatum est.

II. UT Ecclesia reparata dicatur, tali modo & forma reparari debet, quali modo & forma in ante fuit, ad differentiam reædificationis & novæ constructionis.

III. SI quis tantùm, vel ex conventione, vel ex stipulatione Parochianorum, seu aliorum quorumpiam hominum, aut ex defuncti Testatoris voluntate, ad reparandam & reficiendam Ecclesiam non penitus eversam, obligatus; neq; ad novæ Ecclesiæ in locum veteris extructionem, neq; ad antiquæ ampliationem cogi & compelli potest.

IV. Auctô Parochianorum numerô, Ecclesiâ, ut eos ad divina audienda congregatos capere possit & valeat, ex necessitate augeri & ampliari potest per eum, ad quem de jure, vel de consuetudine reparatio pertinet, neq; ad hujusmodi auctionem & ampliationem Parochianorum consensus requirendus est.

V. Iconomachi, vel Iconoclastæ, hoc est Imaginum oppugnatores, violatores, scelerati Templorum eversores, & alij impij ejusdem generis homines, tam de jure naturæ, quàm de jure Divino & humano ad resarciendum damnum Ecclesiæ illatum obligantur.

VI. Ecclesia per pollutionem violata, ejus impensis reconciliari debet, qui eam polluit. Polluitur autem Ecclesia. *1mò.* per injuriosam & notabilem humani sanguinis effusionem, vel occisionem ex suffocatione, suspensione, vulneratione, aut etiam gravi percussione in ipsa Ecclesia factam. *2dò.* per notabilem & voluntariam humani seminis effusionem pariter in Ecclesia peractam. *3tiò.* per sepulturam hominis infidelis, non baptisati, aut hæretici, vel excommunicati in Ecclesia expeditam.

VII. Ecclesia in Bonis ejus, qui eam læsit, destruxit, vel spoliavit tacitam habet hypothecam.

Exponentur publicè ad disputandum in Lectorio Collegij Juridici Universitatis Crac: Objectis satisfaciente Generoso Dño ADAMO SKIRON, Equite M.D. Lithuaniæ. *Jurisprudentiæ Auditore. Die* 31. *Januarij Anno Dñi* 1754. *horâ* 10. *antemeridiana.*

F1 Theologia

~~Conclusiones lunares ex rubrica de sacrosanctae~~
~~et catholicae Christi ecclesiis reparandis~~
~~ac reficiendis 1754.~~